



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 19. Christophori Thuani primi Præsidis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

## §. XVIII.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582.*Responsum Regis ad Deputatorum  
postulata.*

**A**bsoluto hoc sermone Archiepiscopus hæc Cleri postulata Regi scripta tradebat, rogans, ut desuper responsum daret: verum Rex duntaxat hæc reposuit: „Sacri Ordinis mihi præcipua „est cura, sicut antea semper fuit, ceterum erit, ut ad eorum postulata brevi „respondeam., Ad hæc Bituricensis Archipræsul novam decimam Clero impositam remitti instabat, addens, sperare se, ab hoc onere Clerum liberatum iri, si regia sua Majestas serio allatas rationes perpendere vellet: attamen Rex suis exactionibus satisfieri voluit: quinimo haud benignius iidem Deputati habebantur in quibusdam privatis congressibus, quos cum primo Præsidente circa Concilii Tridentini promulgationem instituebant, quapropter Ecclesiastici sinistro hoc successu territi, sua comitia die nona Augusti hoc eodem anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo solverunt.

## §. XIX.

*Christophori Thuani primi Præsidis  
obitus.*

C 4

Hoc

Sæcul. XVI.  
A.C. 1582.

*Blanchard  
hist. des Præ-  
sid. au Par-  
lem.*

*Hist. Thu.  
ejus Filii l.  
75.*

*Spond. n. 24.*

Hoc item anno accerrimus Gallicanæ libertatis Defensor, ac pro patriæ suæ bono maxime studiosus æmulator vitam finiverat. Erat is Christophorus Thuanus primus Parisiensis Senatus Præses, qui prima die Novembris annos septuaginta quatuor, duos menses, & quinque dies natus obiit: porro hic Regibus percarus, populo acceptus, ac non minus ob pietatem, morumque integritatem magni habitus, quam ob profundam eruditionem, & æquitatis studium celebratus fuit, quamvis autem Henricus III. ipsius monita flocci haberet, nihilominus ipsius jacturam lugebat, ac lacrimis deslebat, sæpius palam professus, quod ingruentibus turbis Parisina urbs nunquam seditionem movisset, si Thuanus Senatui præfuisset, quapropter idem Rex huic Viro justa solemnī pompa persolvi jussit, ejus corpore ad Ecclesiam sancti Andreæ de Arcubus delato, atque in familiæ suæ facello terræ mandato, ubi vidua illius conjux sepulcralem inscriptionem, quæ hodiedum visitur, affigi curavit, & Johannes Brevotius sancti Severini Parochus orationem funebrem declamavit. Ceterum Thuanus plures reliquit liberos, atque inter ceteros celebrem Historicum Jacobum Augustum Thuanum præter Filiam nomine Catharinam, uxorem

rem Achillis Harlæi, qui post Soceri Sæcul. XVI.  
fui obitum primi Præsidis munus obti- A.C. 1582.  
nuit.

## §. XX.

*Sancti Caroli sollicitudo erga gregem  
suum in pietate conservandum.*

Interea sanctus Carolus Borromæus, *Giuff. vie de  
S. Charles l.  
6. c. 10.*  
postquam Mediolanensi Ducatui no-  
vus Governator præficiebatur, majo-  
rem animi sui tranquillitatem nactus  
pacis sibi redditæ opportunitatem eo  
unice impendebat, ut cum majori sol-  
licitudine gregi suo invigilare, suamque  
Diæcesin perlustrare posset, quapropter  
frequentius suos Ecclesiasticos congrega-  
bat, ut de eorum moribus, præci-  
pue vero de progressibus in pietate, &  
disciplina certior fieret, atque illos suis  
adhortationibus ad pristinum fervorem  
revocaret, suisque sanctis præceptis cor-  
ruptelas, quæ forte in Parochias irre-  
pere possent, præpedire valeret: ineun-  
te autem hoc anno omnem curam eo  
impendebat, ne festis diebus non mo-  
do durante divino officio, sed nec reli-  
quo diei tempore larvati incederent, vel  
ludicra spectacula, choreæ, aut alii  
ejusmodi ludi instituerentur: enimvero  
pio illius studio non sine maxima ani-  
mi sui lætitia optatus adspirabat succes-  
sus, quippe fideles dies Domino Deo sa-  
cratos